



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Hebdomas Patientiæ Sive Methodus Facilis Totam Septimanam Inter Omnes Fortunæ, Ac Vitæ, Coeterosque Casus Humanos In Sancta Quiete, Pace, Et Patientia Transigendi Ex Consideratione, Imitatione Et ...**

**Dietmer, Georg**

**Moguntiaë, 1674**

Caput II. Amore dolorosæ Virginis libenter, & patienter ferre amissionem bonorum; præsertim, parentum, liberorum, amicorum &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46586](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46586)

lius est mihi mori, quam vitam ducere mortis.  
 O fili chare, ô benignissime nate, miserere Ma-  
 tris, suscipe preces, desine nunc esse durus Ma-  
 tri, qui semper ei fuisti benignus in cunctis. Ni-  
 hil vero dulcius mihi quam tecum mori, & ve-  
 rè nil amarius est, quam vivere post mortem  
 tuam. O Jesu tu mihi Pater, Tu mihi Ma-  
 ter, tu mihi sponsus, tu mihi filius, tu mihi om-  
 nia eras: nunc orbor Patre, viduor sponso,  
 desolor prole, omnia perdo: O fili mi quid  
 ultra faciam? finem imponere cogor  
 Parthenophile, innumeræ sanctorum  
 ejusmodi prostant sententiæ, quibus ex  
 amore Matris in filium, ejusdem colli-  
 gunt acerbitatem dolorum, tantum &  
 tu Matrem tuam diligere comprobabe-  
 ris, quantum condolebis.

## CAPUT II.

*Amore dolorosæ Virginis libenter, & patien-  
 ter ferre amissionem bonorum; præsertim,  
 parentum, liberorum, amicorum &c.*

**N**on mediocri laude digni censendi  
 sunt ii Parthenophile, de quibus  
 Apostolus: Bonorum vestrorum jactu-  
 ram

ram

ram cum gaudio suscepistis. Heroicæ siquidem indolis indicium est, generoso pectore bona ejusmodi temperalia spernere; vel certe eo usque solum in iis amandis progredi, ut si vel bello, vel casu, vel alio quodam infortunio perdantur, ut non modo nullam inde graviolem tristitiam concipias, aut de statu mentis quasi dejiciaris; sed insuper plenâ, perfectâque animi resignatione divinæ providentiæ, sanctissimoque ejus beneplacito heroicè transcribas. Quid enim si aut messis non respondeat sementi; aut vindemia non exæquet expensas, aut incendio domus conflaret, aut furto auferatur supellex, aut famuli, ancillæque incuria minoris, majorisve boni facias jacturam, aut etiam inimico bello omnia depopulentur; quid est inquam, quod tantopere excandescas, diris cuncta devoveas, execrationibus dæmonas excites inferno obvios quosque rabidi ad instar canis allatres, & mordeas; Ariolos & Pytho- nissas accersas, demum eò dementiæ progrediaris, ut æternum, optimum- que Nu-

que Numen blasphemiiis tuis provocas,  
& summo, flammisque puniendo scele-  
re, libidinosâ lingua velut tibi injuriam  
provocas? An bonorum ejusmodi tem-  
poralium tanta vel vis est, vel utilitas  
censenda, ut jure quodam illorum  
causa summum bonum violandum pu-  
tes? profectò si rectè saperes, gaudio  
insuper te affici oporteret, quo relictis  
his omnibus nudus nudum Jesum subse-  
qui, & consequi valeres. Ita insuper  
haberes thesaurum repositum in cœlo,  
nomenque tuum libro vitæ ascriptum  
contineretur. Quod si vero res levio-  
ris cujusdam considerationis contigit,  
quæ nec opes omnes abstulit, ne nota-  
bilem familiæ injuriam intulit, tantun-  
dem tamen irascaris, næ tu longè poenâ  
majore dignus existimandus es. Læ-  
tandum tibi potius, & summo opere qui-  
dam fuerat, quod divina bonitas, ac  
providentia alicujus te meriti reddere  
voluerit participem, cujus possessio-  
nem ut adires, tua te non permisit te-  
nacitas. Accedit quod hoc qualicunc-  
que bono sublato, cura similiter solli-  
citu-

citu-

citudoque adempta sit. Oblata subinde erant dono ex Hungariâ Sigismundo Imperatori quatráginta aureorum millia; de quibus cum noctu cogitaret attentius, quem in usum potissimum tantum thesaurum impenderet, ex ea cura accidit, ut somnum capere non posset; Ergo intempesta nocte, huc Duces, clamat, Consiliarii, aulici, proceres! quibus solícite accurrentibus, & nescio quid mali ominis suspicantibus omnem eam aureorum summam distribuit, donoque reliquit, inquiens: *Ite, nunc securè nobis dormire liceat. Profecto bene accinit Juvenalis Satyr. 10.*

*Paucæ licet portes argenti vascula puri,  
Noctè iter ingressus, gladium, contumq; timebis,  
Et mota ad Lunam trepidabis arundinis umbram  
Cantabit vacuus coram latrone viator.*

Sed quid ista ego commemoro; consideremus Parthenophile Heroas Christianos, qui contemptis omnibus divitiis, jaçturam omnium bonorum amore Christi forti animo pertulerunt. Magnus ille Philippus Caroli V. filius quos non sumptus fecerat in exstruendâ classe, qua-

se, qualem orbis terrarum hæcenus non viderat, quas non impensas in colligendis militibus, cæteroque apparatu comparando insumpserat, videbatur uterque orbis iis impendiis exhaustus, nec jam dubium fere restabat totam Angliam ea machina perditum iri. Verum aliter Deo fuit visum, periit scilicet classis, periit milites, periit conceptus, periit spes omnis, si eam duntaxat excipias, quam animo fovebat Philippus, quamq; prodidit his verbis, cum cladem infandam percepisset: *Sit nomen Domini benedictum! Dominus dedit, Dominus abstulit.* Euphraxia Antigoni filia desponsationi nobilissimi Juvenis præelegit velum religiosum, cum si nuptias admitteret, amplissimæ divitiæ à Theodosio reciperentur, dicens: *Opes meæ Christus est.* Verum hisce pluribus adducendis super sed eo, tum quod passim prostent, tum quod bona ex parte ubi de paupertate æquo animo ferenda dixi, allata fuere. Venio itaque ad illud punctum, ut solatii tibi loco aliquid afferam, si forte liberos charissimos, si Parentes optimos,

L

timos,

timos, si amicos integerrimos amiseris, quorum jactura profecto gravissime accidere solet; sed credo non ita tibi Parthenophile, posteaquam dolores Virginis perspexisti, quos prope immensos ex amissione dulcissimi pignoris sui Jesu perceperat. guttulæ tui sunt dolores ad immensum mœstitiæ Oceanum comparati cum Virgineo mœrore. Neque tamen illa ob tanti filii mortem se lachrymis perturbatione plenis, aut insanis lamentis conficiebat, vel desperabunda concidebat, non insaniebat, aut nullum consolationi locum admittebat; sed singularem animi fortitudinem cum summo mœrore conjungens, secundum rationem tristitiam, angoresque suspiciebat. Sed secum si Bernardo credimus *serm. super Evang. stabat autem*. sic se ipsam alloquebatur: *Stabo & aspiciam oculis manus perforatas, & pedes: Videbo quomodo pendeat in patibulo mundi Salvator; & quomodo transeat ex hoc mundo; Accedam propius, & amplectar brachis, & depositum de cruce osculabor filium, Deum ac Dominum meum.* Interim  
 qua-

qualiscuncque hic esset mæror, ac luctus, intra terminos manebat propriæ vocationis, & rectæ rationis, neque leges publicæ honestatis violavit, neque in conspectu populi quidquam impatientiæ, aut fœmineæ levitatis commisit. At, inquis, erat hæc Mater Domini, tot gratiis instructa, majorique fortitudinis spiritu prædita, quam omnes Christi Martyres, aliter se fors mecum gerit. Amisi Patrem, qui sustentabat; Amisi Matrem, quæ pauperis unicum erat solatium; prolem perdidit omni affectu mihi addictissimam, in qua familiæ spes, posteritatis incrementum, & tota ratio generis & familiæ dependebat. Itane vero Parthenophile, majore Virgo fortitudine prædita fuit cæteris Martyribus? miror te non addidisse, & majore, quam tu possideas; sed age, quanta & illa præ reliquis omnibus Martyribus, ut te taceam, tormenta sustinuit? recole quæ hæcenus disputavi tecum primis capitibus, & accuratè meditare, & veritatem videbis. Sed si tamen præ reverentiâ omnino cum



Matre Domini in comparationem venire nolis : alios quosdam in medium proferam mortales, tibi similes in eo quod dolorem mortuorum amicorum ingenti mærore prosequerentur, sed quibus te similem fieri oportebit ; admittendo consolationem ex sacris monumentis depromptam, & æquo animo ac patienti mente in honorem dolorosæ Virginis casum perferendo. Primum igitur audi, quo pacto D. Bernardus ingentem mærorem ex fratris sui Gerardi obitu conceperit, quamque nihilominus moderato animo tulerit. Sic ergo *serm. 26. super cant.* se ipsum depingit : Plango primum super mei ipsius plagâ, atque hujus jacturâ domus. Plango deinde super pauperum necessitatibus, quorum ille pater erat ; plango certè & pro universo statu nostri ordinis, nostræ professionis, quæ de tuo, Gerarde, Zelo, consilio & exemplo, robur non mediocre capiebat. Plango postremo etsi non super te, propter te tamen. Hinc prorsus hinc afficior graviter, quia vehementer amo. Et nemo mihi

mihi

mihî molestus sit dicens, non debere sic affici; cum benignus Samuel super reprobò rege, & pius David super parricida filio satisfecerint affectioni, & non ad injuriam fidei, non in superni suspirationem iudicii. Absolon fili mi, ait S. David; & Ecce plus quam Absolon hic. Salvator quoque videns civitatem Hierusalem, & prævidens ruituram, flevit super eam. Et ego propriam, & quæ in præsentî est, desolationem non sentiam? plagam meam recentem, & gravem non doleam? ille flevit compatiendo, & ego patiendo non audeo? Et certè ad tumulum Lazari nec flentes arguit, nec à fletu prohibuit, insuper & flevit cum flentibus, & lachrymatus est, inquit, JESUS. Fuerunt lacrymæ illæ testes profecto naturæ, non indices diffidentiae &c. Sic nec fletus utique noster est infidelitatis signum; sed conditionis indicium. Hactenus Bernardus vir religiosissimus, & dolorem suum prodit, & simul exemplis ex scripturâ depromptis apud suos excusat, totumque casum sine diffidentia aliqua per-

fert. Sequere Parthenophile. Aliud refert Oforius Magnus ille quondam in Hispania Magister in perorando: Vidua, inquit, erat unicum habens filium, illustrem illum, ac multarum opum hæredem, hunc occidit inimicus ejus, & continuo se abscondit; cumque à Præ-tore querentur ad necem, novit occisi filii Mater eò prætorem contendere ubi se ille abdiderat; (Quo interim mæro-re confecta tristissima Mater; quas vindictæ postulatrices cogitationes suggererint inde amor filii unici, inde dolor, præcisaque hereditatis spes, tibi relinquendo considerandum Parthenophile) Sed ecce etiam in corde materno, tantum valuit Dei dilectio, Christi que imitatio, ut decreverit filii occisorem liberare, quod & fecit, mittens ei equum, & pecuniam, suadens fugam; quod cum reus fecisset, ingressa est oratorium suum, & pro filii anima oravit. Oranti astitit filius, admirabili luce fulgidus, sicque Matrem est allocutus: *Cum inimico pepercisti, & pro me orasti Mater mea verè effecta es; plus quam cum me genuisti.*  
*Insigni*

Insigni nam tua charitate, & oratione à Deo obtinuisti veniam omnium meorum peccatorum, & indulgentiam consecutus sum multorum annorum, qui mihi restabant in purgatorio exsolvendi. Ecce dotatam & coronatam patientiam in obitu unigeniti. Sic ergo & tibi agendum deinceps erit, ut licet sentias, patienti tamen fortique animo perferas mortem amicorum, prout monuit Augustinus de verbis Apostoli, ubi ait, non contristandum de dormientibus sicut & cæteri his verbis: *Necesse est ut tristes simus, quando nos moriendo deserunt, quos amamus: quia & si novimus eos, non in æternum relinquere nos mansuros, sed aliquantum præcedere secuturos; tamen mors ipsa, quam natura refugit, cum occupat dilectum, contristat in nobis ipsius dilectionis affectum. Ideo non admonuit Apostolus, ut non contristemur, sed non sicut cæteri, qui spem non habent. Contristamur ergo nos in nostrorum mortibus necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi; inde angimur, hinc consolamur. Inde infirmitas afficit, hinc fides reficit. Inde dolet humana conditio, hinc sanat divina promissio.* Hactenus Augustinus. Veniam tandem

ad finem Parthenophile, & ut contra omnes ejusmodi casus animum tuum obfirmes fortiter, non solum dic cum Seraphico Patre Francisco te mortuo Patre tuo, nunc eo rectius dicere posse: *Pater noster qui es in cœlis*. Sed qualiscunque demum is sit amicus, vel benefactor tuus, qui mortales hæc auras reliquit, ipsi imprimis bene preceris, dicasque: *Beati mortui qui in Domino moriuntur, à modò dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis*. Cogites deinde optimum Salvatorem tuum Jesum deinceps & Patrem & Matrem, & filium & filiam, & fratres & sorores, amicosque & amicas futurum, in quo spes omnes tuæ dependeant, qui sit infinitè pulcher, inexhaustè dives, qui te sic dilexerit, ut cum inimicus ejus esses, & antequam tu nascere-  
rere, ipse pro te mortem sustinuerit atrocissimam, & ut suam tibi probaret charitatem & pietatem, mortuo sibi latus aperiri voluit, ut destitutus ab omnibus, ibidem & domicilium invenires, & escam & potum æternæ salutis haurires. Dic igitur millies *Jesus meus & omnia!* Refert

fert Caufinus in *Symb. lib. 3. 38.* Indum  
quendam juvenem adeo dulcissimos fi-  
bi parentes mortuos adamâsse, ut ei-  
dem semper in oculis hærerent lacry-  
mæ, in ore dulcia Patris, Matrisque no-  
mina perennarent; sed ingeniosius  
quoddam stratagema ipsi suggestit a-  
mor, in suo enim ipsius capite puer vul-  
nus aperuit, dissimulatoque præ amore  
sensu doloris, in hiante capitis vulnere,  
paternos & maternos cineres, qua po-  
tuit, sepelivit, ut semper aliquid Patris  
ac Matris suo capite circum ferens, eo-  
rum nunquam oblivisceretur. Prope  
superstitiosa isthæc regii cœteroquin ju-  
venis pietas: monstrabo tibi tandem  
Parthenophile, augustius Mausoleum,  
ipsi Mausolo, & Arremisiæ inviden-  
dum, in quo amici tui defuncti cineres  
reponas, utq; æternum illis sis conjun-  
ctus, eodem te summâ pietate licet & de-  
votione abscondas; hians scilicet latus  
Salvatoris, ubi & fideles mortui tui ci-  
neres in pace quiescent, & tu tranquili-  
tate pristina donatus, dicēs rursus mil-  
lies *Jesus meus & omnia!*

L

S

CAPUT